

# **Universitäts- und Landesbibliothek Tirol**

## **De syntaxi Apuleiana**

**Leky, Max**

**Borna, 1908**

Einleitung

Apuleium multum in priscae latinitatis imitatione versatum et in ea ipsa priscorum ostentatione proprietatem quandam eius dictionis esse sitam saepius iam viri docti his ipsis temporibus affirmaverunt idque nonnumquam exemplis probaverunt. (Ex his commemorare satis habeo, quae exposuit Kroll in *Mus. Rhen.* 52, 569 sq. et Gatscha in capite primo dissertationis, quae inscribitur: *Quaestionum Apuleianarum cap. III* — *diss. Phil. Vind. vol. VI, 1898*).<sup>1)</sup>

Equidem in hoc opusculo conficiendo id mihi proposui, ut hunc Apulei archaismum — ut ita dicam —, qui quidem attineret ad syntaxin, uberius inquirerem exemplisque explicarem. Sed quamvis rem explere studuerim, persuasum tamen habeo, qui ad Apuleium accuratius accedat, ab eo fortasse haec vel illa inventum iri, quae opusculum meum suppleant.

Es libris, quibus usus sum, affero praeter Apulei librorum editiones notas<sup>2)</sup> praecipue hos:

Heinr. Koziol, *Der Stil des Lucius Apul.*, Wien 1872.

Henr. Kretschmann, *de latinitate L. Apulei*, *diss. Regim.* 1865.

Heinr. Becker, *Studia Apuleiana*, Berlin 1879.

Joann. Piechotta, *Curae Apuleianae*, Breslau 1872.

Cetera, velut quae Helm scripsit in *Philol. Suppl.* 9, aliaque id genus facile ex adnotationibus cognosces.

Quod attinet ad priscae latinitatis genus dicendi, Holtzii syntaxi prisc. script. lat. non plane carendum esse putavi; Plauti et Terenti sermonem, quantum potui, illustravi ex illis crebris summaeque curae plenis adnotationibus, quas fecerunt Lorenz, Brix-Niemeyer, Driatzko (-Hauler, -Kauer).<sup>3)</sup>

---

<sup>1)</sup> Hic cum de aliis rebus tum de ea re inquit quaestionem, quae ex ipsa scriptorum priscorum lectione fluxerint et quae per alios posterioris aetatis Apuleius comperuerit de priscis. Atque ex collectionibus singulorum vocabulorum vel locutionum similium id tandem bono iure colligit Apuleium ex poetis priscis legisse praecipue Plautum et Terentium nec minus sane Ennium et Lucilium, ex prosae orationis scriptoribus Catonem hic esse afferendum. Sed accuratiora de hac re eruere, vel id, ut recte Gatscha dicit, vetat, quod reliquiae tantum horum scriptorum exstant.

<sup>2)</sup> Opusculo iam confecto Helmii quoque *Metam.* editionem inspexi atque quibus quidem locis ab eo dissentiam, plerumque in adn. protuli. Nonnumquam enim etiam hic — sicut summa fecerat licentia Vliet — Apuleianae dictionis proprietatem non satis respiciens iniuria procedere mihi visus est ad lectiones emendandas.

<sup>3)</sup> Priusquam haec dissertatio typis exprimeretur, mihi prae manibus fuit etiam Lindsayi *Syntax of Plautus*, Oxford 1907. Paucis equidem locis rationem habui huius libri, multis vero aliis ipse eum bene ac facile poteris respicere.